Caesar, de bello Gallico, I,15 **Raum für Notizen**

1 Postero die castra ex eo loco movent.
2 Idem facit Caesar equitatumque omnem, ad numerum quattuor milium,
3 quem ex omni provincia et Haeduis atque eorum sociis coactum habebat,
4 praemittit,
5 qui videant,
6 quas in partes hostes iter faciant.
7 Qui
8 cupidius novissimum agmen insecuti
9 alieno loco cum equitatu Helvetiorum proelium committunt,
10 et pauci de nostris cadunt.
11 Quo proelio sublati,
12 quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant,
13 audacius subsistere nonnumquam
14 et novissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt.
15 Caesar suos a proelio continebat ac satis habebat in praesentia
16 hostem rapinis populationibusque prohibere.
17 Ita dies circiter quindecim iter fecerunt,
18 uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum
19 non amplius quinis aut senis milibus passuum interesset.